*AUTHOR:* SCHMIDT, FRIEDRICH J.

*TITLE:* QUAESTIONUM CURTIANARUM.

*PLACE:* SUIDNICII

*DATE:* 1853

Master Negative #

91-80416-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87094
DZ6

Schmidt, Friedrich Julius,
Quaestionum Curtianarum, pars I., scripsit Fridericus Julius Schmidt... Suidnicii, typis Ludovici Heegii, 1853.
18 p. 27 cm.

373973

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-19-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# QUAESTIONUM CURTIANARUM

## PARS I.

SRIPSIT

**FRIDERICUS JULIUS SCHMIDT,**
Philosophiae Doctor, Gymnasii Suidnicen[redacted]ector.

**SUIDNICII.**
Typis Ludovici Heegii.

**MDCCCLIII.**

Quum occasione scribendi oblata nonnullos Q. Curtii Rufi locos emendare animum induxerimus, de ratione in textu genuino restituendo, id quod ars critica inprimis spectare debet, adhibenda pauca afferre a re haud alienum nobis visum est. Qua in re Carolum Timotheum Zumptium de Curtio emendando meritissimum sequimur, quamquam judicium, quod ille de codicibus tulit, Henrico Eduardo Fossio in praefatione ad editionem Curtii (Lipsiae sumptibus B. G. Teubneri MDCCCLII) et in libello inscripto „Quaestiones Curtianae" (Altenburgi in commissis J. H. Jacob MDCCCLII) nuper non probatum esse haud ignoramus. Principia artis criticae in Curtio tractando factitandae perspicue exposuit Zumptius primum in praefatione, quam praemisit editioni parvae, quae Berolini anno MDCCCXXVI sumptibus Ferdinandi Duemmleri impressa in lucem prodiit, qua ratione vir doctissimus in editione majore[1]), quam Brunsvigae apud Fr. Vieweg et filium MDCCCXLIX paravit, non discessit. Magnum subsidium editori contigit, quod a Francisco de Furia accurata novem codicum Florentinorum manuscriptorum collatione instructus est et codicum Bernensium collationem accepit nec praeterea nonnullis editionibus antiquis, quae raro exstant, caruit. Auctoritatis codicum, quibus in Curtio edendo usus est, rationem Zumptius in praefatione reddit. Praecipue opera navanda est inspiciendis lectionibus quatuordecim codicum, quorum novem sunt Florentini, duo Bernenses, unus Leidensis, duo Vossiani. Leidensis nec non duorum Vossianorum notitiam debemus Henrico Snakenburgio, qui eam in editionem Delphis et Lugduni Batavorum paratam recepit. Illorum, quos modo enumeravimus, codicum Zumptius duas esse familias cognovit, quae ex uno mutilo nec satis emendate scripto libro originem duxissent. Quae quidem sententia eo comprobari videtur, quod lacunae quaedam omnibus codicibus sunt eaedem. Diversitatem vero auctoritatis codicum vir doctus

[1]) Cui titulus est: „Q. Curtii Rufi de gestis Alexandri Magni, regis Macedonum, libri qui supersunt octo. Ad fidem codicum manuscriptorum et olim adhibitorum et recens collatorum Florentinorum et Bernensium recensuit et commentario instruxit Car. Timotheus Zumptius. Accedit tabula geographica expeditionum regis Alexandri.

in eo esse statuit, quod in una classe codicum ille principalis codex, e quo omnes nobis adhuc noti et Palatinus I et Fauchetianus apud Freinshemium et tres Parisini originem duxerunt, fideliter descriptus est et praeter solita scribendi vitia, quae in omnibus codicibus lectoribus occurrunt, nihil consulto mutatum sive omissum sive additum videtur; altera classis correctos et corruptos codices complectitur. Primae classi annumerandi sunt Florentini AB, Bernensis A, Leidensis et Vossianus I. Illi vero codices, quos Zumptius deteriores appellat, interpolationis vestigia partim plura partim pauciora ostendunt. Zumptius auctorem illius interpolationis Italum quendam doctum e priore saeculi XV parte fuisse statuit, qui in Curtio emendando ingenio callido usus sit.

Duo vero ad interpolationem quod pertinet, illius classis ordines distinguendi sunt; alterius codices paucioribus locis ab iis, quos supra memoravimus, discedunt, alterius saepissime et sine causa ab integris codicibus abeunt. Prioris classis codices sunt Florentini DFGI, Palatinus I apud Freinshemium et tres Parisini, alterius Florentini EH, Bernensis B, Vossianus II. Horum codicum nec non editionum nonnullarum, in quibus codicum accuratius collatorum vestigia apparent, considerate excussis lectionibus textus genuinus restituendus est.

Primus Curtium emendandum suscepit **Franciscus Asulanus**, qui Aldinam editionem Venetiis anno MDX curavit, quae vulgata fertur. Codices **Coloniensem** et **Sigebergensem Franciscus Modius** contulit nec vero, quamquam vulgatam et codicum auctoritate et ingenio suo usus sexcentis locis correxit, rationem reddit, quibus causis adductus textum mutaverit neque eo modo editionem instituit, ut dignosci possit, quae lectio et quo codice stabiliatur. Quare difficile ad judicandum, num quae emendaverit, merito sint laudanda necne. Nec sequentes Curtii editores, qui inter ceteros praemium accuratioris studii acquirere tentabant, certam rationem textus emendandi probaverunt, **Joanne Freinshemio** et **Henrico Snakenburgio** non exceptis. — Inter eos qui hoc saeculo ineunte Curtium ediderunt, inprimis **Cunzii**[1]) et **Schmiederi**[2]) mentionem fecerim. Quae vero ad textum genuinum restituendum attulerunt, non tanti momenti sunt, ut fructus haud spernendus in artem criticam exercendam inde redundaverit. Alter eorum textum Freinshemianum secutus est, alter Freinshemio-Snakenburgianum dedit. Neque iis auxilio erant illa adminicula, quibus Zumptius usus est. Quam vero hic ingressus est viam, secuti sunt recentiores editores, qui in usum discentium editiones parantes textum emendatum typis denuo excudendum curaverunt. Quorum aetate prior **Antonius Baumstarkius** Stuttgartiae in collectione

[1]) Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni libri superstites. Varietate lectionis atque perpetua adnotatione illustrati a M. **Dit. Joach. Theod. Cunze**, ducalis scholae Schoeningensis rectore. Vol. I. Helmstadii MDCCCII.

[2]) Q. Curtii Rufi de rebus gestis Alexandri Magni regis Macedonum libri superstites ad optimorum exemplarium fidem recensiti atque prooemio et indice rerum instructi a Frid. Schmieder. Gottingae, MDCCCIII.



Zelliana editionem Q. Curtii Rufi curavit adjecta varietate lectionum maxime memorabili, alter vero **Julius Muetzellius** editione anno MDCCCXLI Berolini parata textum Zumptianum annotationibus criticis et exegeticis in usum scholarum ornavit, in quibus haud raro a Zumptii ratione abhorrentem interpretationem instituit.

Zumptii auctoritate nisus optimorum codicum lectiones examinabo iisque ducibus textum emendare tentabo, quibus destitutus secundi ordinis codicum vestigia premam earumque editionum lectiones, quae codicum minus cognitorum auctoritate fulciri videantur. **Fossium**, qui judicium a Zumptio de codicum auctoritate latum improbavit, nuperrime in annalibus philologicis et paedagogicis a Klotzio Lipsiae editis **Justus Jeepius** refutavit, qui jam anno MDCCCXLVIII in annalibus scholasticis, quos Heydemannus et Muetzellius Berolini edunt, multas bene excogitatas emendationes ad Curtii libros pertinentes proposuit. Omnes codices Fossius originem duxisse statuit ex uno codice, ex quo duo exemplaria inter se diversa descripta sint, alterum plenius atque integrius, alterum paulo magis lacunosum; ex hoc primi ordinis codices, ex illo alterius profectos esse. Codicum secundi ordinis praestantissimum nominat Florentinum G. De tertiae classis codicibus corruptissimis et lacunosis quaestionem lubricam respuit, tamen eos non e tertio exemplari originem duxisse, sed e duplici illorum librorum genere conflatos mixtosque esse pro certo habere videtur.

Quibus de arte critica exercenda praemissis nunc nonnullas emendationes et conjecturas, in quas Curtii libros iterum iterumque legentes incidimus, proponemus.

Lib. III cap. 3 § 5[1]) in Zumptii editione legitur: „Quidam vera augurabantur: quippe illustria Macedonum castra visa fulgorem Alexandro portendere: **quem Asiae regnum occupaturum haud ambigere**, quoniam in eodem habitu Dareus fuisset, cum appellatus est rex." Curtius somnium narrat, quod anxium regem Dareum agitavit, quodque vates vario modo interpretati sunt. Alexander somnianti Persarum regi in eodem vestis habitu, quo ipse fuisset, adduci, equo deinde per Babylonem vectus subito cum ipso equo oculis subductus esse, castra Alexandri ipsa magno ignis fulgore collucere visa sunt. Jam in verbis „Quidam vera augurabantur" codices et editiones non consentiunt, quum, quae recentiores editiones habent: „**Quidam contra augurabantur**", in nullo libro manuscripto inveniantur et vocabulum „**vera**" Zumptii ingeniosa conjectura, quae tamen pauxillum a bono et integro cod. Flor. B abhorreat, textui insertum sit. — Ingens vero lectionum varietas in verbis „**quem Asiae regnum occupaturum esse haud ambigere**" annotanda est. Hanc a Zumptio in textum receptam lectionem codices non tuentur; libri manuscripti et editio Frobeniana (MDXLV) **quodve regnum Asiae occupare habuisset haud ambiguae rei** habent. Lectionem his verbis proxime accedentem Zumptius non excogitavit; conjecit quidem in annotatione „**quod regnum Asiae occupaturus esset**, hanc vero conjecturam minus probabilem, quippe quae codicum cum lectione minus congrueret, in textum non recepit. —

[1]) Vulgarem editionem sequentes capitum et paragraphorum numerum indicabimus.

Hoc loco non quaerendum est, num lectio vulgata ferri possit necne; nam vestigia genuini textus in ea minus apparent; id maxime spectandum, ut lectionem restituamus, quae ad verba codicibus defensa proxime accedat. Hanc reperisse mihi visus sum conjecturam proponens: „Quod vero regnum occuparet, habuisse se haud ambiguae rei.“ Quum codices initio structurae verba quodve ostendant, in quibus vocem ve improbandam esse vix negaveris, literas quasdam excidisse suspicor et vocabulum mutilatum emendandum curavi, vero scribens; syllaba enim ro propter sequentem syllabam re errore calami facillime omitti potuit. Verba haud ambiguae rei codices exhibent, quibus nihil mutandum esse putavi; quum vero pro forma infinitivi habuisse, quam nonnulli codices ostendunt, in aliis habuissent, in aliis habuisset legatur, syllaba mutilata latere mihi videtur, quare se loco accusativi subjecti supplendum curavi; literam vero t, quam verborum totus connexus postulat, voci occupare affixi. Vates jam vere augurabantur castra Macedonum illustria Alexandro fulgorem portendere neque ambiguae rei habere potuerunt i. e. neque iis dubium esse potuit, quod regnum Alexander occuparet.

Lib. III c. 9 § 12 in Zumptiana editione legitur: „Paulatim deinde laxare se sinus montium et majus aperire spatium coeperant etc. Codices manuscripti hoc loco habent: laxare se et sinus. Conjunctio et, id quod nemo non intelligit, ferri nequit, textui tamen intrusa esse non videtur, sed vestigia vocabuli corrupti prodit; suspicor igitur non legendum esse et, sed ex et deinde pro nominativo sinus scribendum esse ablativum sinu. Subjecti casus e verbis antecedentibus sumendus: angustiae; angustiae enim latius extendi aciem non patiebantur, quare triginta duo ordines armatorum ibant; deinde angustiae sinu montium, quibus claudebantur, paulatim extenso i. e. montibus magis magisque recedentibus se laxare coeperunt.

Lib. III c. 13 § 17. Zumptius textum ita correxit: Ceterum tantae fortunae proditorem superi ultores celeriter debita poena persecuti sunt, quae verba codicum lectioni aliquatenus non congruunt. Omnes codices manuscripti exhibent: ceterum tantae fortunae proditorem sepulturae celeriter debita poena persecuti sunt; in Palatino I, in Florentinis DFI pena persecuta est, in deteriore Flor. G pena prosecuta est legitur. Primus editor, nescio, num codice quodam auctore ductus, an ex conjectura dii, quod haec enuntiatio subjecti casu carere videbatur, adjecit, quam vocem alii editores in textum receperunt. Quum vero in codicibus, quos diligentius comparatos novimus, vox dii non inveniatur, subjecti casus vero orationis supplendae causa desideretur, haud ineptum judicium ferre mihi visi sunt, qui in voce sepulturae subjecti casum latere, vocabulum sepulturae vero scriptoris inscitia ortum esse statuant. Jam J. Fr. Gronovius hanc sententiam professus pro sepulturae emendavit superi ultores, quae emendatio posteri aevi editoribus ita placuit, ut in textum eam reciperent; quam nec Zumptius respuit. Multis enim locis color quidam, ut ita dicam, poëticus Curtii Rufi narrationi inest, quare et ad hunc locum editor laudatissimus Ovidii Metamorph. XIV, 729 et seq. nec non 749 et seq. citat:



Si tamen, o Superi, mortalia fata videtis,
Este mei memores — — —
— — — duraeque sonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes, quam jam Deus ultor agebat.

Vocum superi ultores et sepulturae externa similitudo Gronovii conjecturam haud improbabilem facit. Huc accedit, quod hoc modo verborum sensus bene coaptatus existit. Proditione enim ejus, qui Damasco urbi praeerat, cujus tutelae Persarum rex gazam opulentissimam, omnem supellectilem regiam, conjuges nobilissimorum Persarum commiserat, opes maximae, haud contemnendum auxilium, in hostium potestatem venerant; qui vero fidem regis Darei, Alexandri gratiam sibi conciliaturus, nefarie violaverat, deos, scelerum ultores, effugere non potuit. Deorum iram hominibus scelestis minitari hic illic Curtius haud ambiguis verbis indicat. Sic lib. V c. 13 § 16. Besso ceterisque facinoris ejus participibus, qui Darei vehiculum secuti sunt, hortantibus eum, conscenderet equum et se hosti fuga eriperet, Dareus deos ultores adesse testatur et Alexandri fidem implorans se parricidas comitari velle negat. Nec lib. VII c. 5 § 25 Bessus, regis parricida, justa poena affectus, deos ultores esse confitetur. „Ille deos,“ ut Curtii verba referam, „sui sceleris ultores adesse confessus, adjecit non Dareo iniquos fuisse, quem sic ulciscerentur, sed Alexandro propitios, cujus victoriam semper etiam hostis adjuvisset.“ Praeterea multis locis Curtius deorum ultionem commemorat.

Supervacaneum nobis visum est omnes virorum doctorum conjecturas huc conferre, quarum multas Snakenburgius in editione affert. Nulla earum felicior Gronoviana lectione; quod enim Faber suspicatus est legendum esse securum sceleris, substantivo dii ante tantae fortunae addito, et quod Heinsius scribendum proponit: dii scelus ulturi literarum similitudini magis repugnat. Christophorus Augustus Heumannus in libello, cui titulus est: „Parerga Critica“ meliorem conjecturam, omnium criticorum calculo dignam, animum suum subiisse exclamat; legendum censet: Ceterum dii tantae proditorem fortunae celeriter debita poena persecuti sunt; per librarii errorem fortunae bis fuisse scriptum suspicatur: tantae fortunae proditorem fortunae, alium descriptorem vocem fortunae infelici casu vel ausu in sepulturae mutasse. Audacter quidem nec vero acri ingenio Heumannus hanc fecit conjecturam, et quod felicissime ille opinatur, nos infelicissime excogitatum credimus; nec quisquam facile intelliget, quo fieri potuerit, ut librarius, qui codicem descripsit, fortunae in sepulturae mutaret. Et hujus conjecturae supplendae causa vox dii addenda est.

Nec recentiorum interpretum tentamina huic loco medelam afferendi silentio transeunda putavimus. Walchius in annotationibus ad Taciti Agricolam hunc quoque Curtii locum emendandum suscepit et vocem dii codicibus quibusdam commendatam esse ratus genuinam lectionem reperisse sibi visus est conjiciens: „ceterum dii tantae fortunae proditorem speculati celeriter debita poena prosequuti sunt.“ Hanc conjecturam refutare nos supersedere posse eo magis putavimus, quod jam Muetzellius in edi-

tione Curtii argumentis haud levibus eam perstrinxit. Editor modo laudatus alio modo textum genuinum hoc loco restituere conatus est. Opinione, qua Walchius, ductus, lectionem dii non primi editoris conjectura textui intrusam, sed codicibus fultam esse, voci corruptae sepulturae nomen plurale ultores inesse et in antecedentibus literis corruptelam latere, nomen ultores accuratiorem desiderare significationem censet. Monet nos verborum, quae in lib. IV c. 13 § 13 nobis occurrunt: expetere praesides Persarum imperii debitas e vecordibus poenas“ et lectionem proponit: „ceterum dii tantae fortunae proditorem imperii ultores celeriter debita poena persequuti sunt“, hac vernaculi sermonis interpretatione adjuncta: „die Goetter, welche mit dem Racheschwert die Wohlfahrt des Staats bewachen, straften den Verräther schnell mit verdienter Strafe.“ — Quod vero hanc conjecturam palaeographia defendi persuasum sibi habet, ab illo editore docto valde dissentimus et multis medii aevi libris manuscriptis inspectis, etsi Curtii quendam codicem ut inspiceremus, nobis non contigerit, difficile animum inducere possumus, e verbis imperii ultores, ut concedatur correptis syllabis imp vel inp ultores in codicibus saepius scriptum inveniri, sepulturae oriri potuisse. — Patrocinium vero lectionis, quam H. E. Fossius in programmate Altenburgensi anno MDCCCXLV commendavit, „ceterum dii tantae fortunae proditorem seri saepe ultores &c. prorsus abnuimus. Sensui, qui scriptoris verbis inesse videtur, multa in ea lectione repugnare ne moneam, in verbis dii seri saepe ultores et in sequentibus celeriter debita poena persequuti sunt controversia est. Fossium vero, Muetzellium et Walchium, qui priorem tantum editionem Zumptianam inspexerunt, vocem dii codicum nonnullorum auctoritate defendi opinantes, Zumptii verba annotationi in recente editione ad hunc locum adjuncta redarguunt: „sed cur dii defendantur, nulla causa est.“

Ne vero diutius lectoris patientia abutamur, nunc novam proferamus conjecturam. Corruptelam in vocabulo sepulturae quaerendam nos quoque statuimus; frustra enim explicationem circumspicimus, qua illam tueamur lectionem nec nos fugit tale quid scriptorem enuntiare voluisse, quo deorum ira significetur. Proponimus lectionem: „Ceterum tantae fortunae proditorem saevae Dirae ulturae celeriter debita poena persecutae sunt.“ Sic quoque colorem poeticum scriptori nostro usitatissimum tuemur. Diras vero humanorum scelerum ultrices esse inter omnes constat; relegamus lectorem ad Virgilii Aeneidis lib. IV v. 473:

ultricesque sedent in limine Dirae.

Librarius, codicem describens, quum verba saevae dirae ulturae videret, de adjectivi dirae significatione cogitans, duobus adjectivis saevae et dirae offensus, alterum dirae omisit; recentes librarii scripserunt saevae ulturae. Qui vero medii aevi codicum scripturam novit, eum non fallit in illis libris manuscriptis pro literis ae scribi solere e; e vocibus vero seve ulturae correpta altera vocali e oriri potuit sevulturae, quod, quum intelligi non posset, quid haec vox significaret, in sepulturae facillime mutari potuit. Lectione corrupta formam persecutae mutatam esse in persecuti cuique apparet. Deas irritatas homo scelestus atque impius subterfugere



non potuit; poenis debitis eum persequebantur; unus e consciis regis vicem etiam in illa sorte reveritus, praefectum, qui opes hominesque fiduciae suae commissos nefarie prodiderat, interfecit caesique caput ad regem Dareum tulit.

Ecce lib. V c. 3 § 9 locus, quo multi sudaverunt interpretes, quem ut explicarent, lacunam statuerunt. Zumptius in editione sic scripsit: „Multis ergo vulneribus depulsi, ut quibus non cum hoste solum, sed etiam cum loco dimicandum esset, subibant tamen, quia rex inter primos constiterat, interrogans tot urbium victores, an erubescerent haerere in obsidione castelli exigui et ignobilis, simul admonens **. Inter haec eminus petebatur, quem testudine objecta, ubi, ut discederet, perpellere nequierant, tuebantur.“

Magna lectionum varietas hoc loco. Ut alias hujus verborum structurae partes omittamus, animum ad lacunam explendam primum attendamus. Priusquam novam proferamus emendationem, codicum lectiones examinemus. Zumptius refert se locum sic edidisse, ut in Florentino codice antiquissimo legatur, a cujus scriptura ne ceteri quidem nisi paulum discedant, et in sequentibus vocem tantum ubi se adjecisse. Lacunam, quam post verba simul admonens statuit, explere non tentavit, nec Fossius verba vel addens vel omittens locum emendavit. Qui vero ante Zumptium Curtium ediderunt, varias ad locum corruptum sanandum attulerunt medelas. In editione principe Zumptio auctore verba simul admonens cum sequentibus ita conjuncta sunt, ut lectio existat: simul admonens jam inter haec eminus petebatur, cum testudine objecta milites ut inde discederet perpellere nequiverant, tuebantur. Nec minus in editione Aldina verba simul admonens voce jam annexa cum sequentibus verbis cohaerent, mutata tamen conjunctione cum, quae in editione principe invenitur, in pronominis relativi accusativum quem. In editione ab Junio (Antverpiae MDXLVI) curata varietas lectionum haud parva conspicitur; vocabulum admonens mutatum est in admovens nec minus ceterorum verborum structura aptius formata sic ut legatur: „simul admovens jam inter haec eminus petebatur, quum testudine objecta milites, quum, ut inde discederet, perpellere nequierant, tuebantur. Minus accurata ratione Modius, ut hunc locum emendaret, usus est. Jam in antecedentibus pro an erubescerent scribi an non erubescerent oportere credidit, neque in ceteris mutatione non admissa locum hoc modo descripsit: „simul jam inter haec eminus petebatur, cum testudine objecta milites, quem ut inde cederet, propellere nequiverant, tuebantur. Mutatio haud parva in eo quod verbum admonens omissum est; levioris momenti alia quae codicibus non annuentibus sunt mutata. Editio vulgata hunc locum sic exhibet: „Simul **jam** inter haec eminus petebatur, **cum** testudine objecta milites, **qui** ut **inde** discederet, perpellere nequiverant, tuebantur.“ Ad codicum scripturas quod attinet, monendum est in omnibus codicibus vocabulum admonens, in codice Flor. G tantum adverbium jam esse, item in omnibus accusativum quem nec vero nominativum qui, codicem Florentinum G pro discedere habere inde cedere, reliquos decede-

ret aut descenderet, Bernensem A a prima manu ut diceret, verbum perpellere de conjectura scribi, codices exhibere simplex pellere, formam nequiverant in uno Flor. B esse, in ceteris nequierant.

Freinshemius in annotationibus editioni suae adjunctis cum Modio potius vocem admonens exturbari vult et in ceteris hunc instituere ordinem: castelli exigui et ignobilis simul? Jam inter haec eminus petebatur. — J. Schefferus in Animadversionibus in Q. Curtium, quas in libro Academicarum Lectionum anno MDCLXXV edidit, admonens scribit, quod codices illam vocem tueri statuit et verba simul jam admovens cum participio interrogans arctissime conjungens, ad interpretandum locum haec addit: „Rex interrogabat eos et simul adducebat ipse quoque propius ad castellum; cum eum vident appropinquantem, obsessi eum petunt telis.“ Verbum admovere tali sensu saepissime apud nostrum scriptorem occurrit; simillimus est locus lib. IX c. 4 § 27: „Jam admovebat rex, quum vates admonere eum coepit, ne committeret aut certe differret obsidionem.“ — Inter nostri aevi editores etiam Fossius lacunam statuit, adverbio tamen jam addito.

Hunc locum sanaturi primum pro certo habemus, quod Zumptius affirmat, in codicibus admonens esse nec vero admovens, jam in codice Flor. G tantum inveniri; tum vero ne lacuna statuatur, lectionem proponimus similiaque monens pro simul admonens, quae verba cum antecedentibus conjungimus; ad sequentia quod attinet, et lectionem et ordinem verborum, qui in Zumptiana editione exstat, retinemus. Nunc pauca ad conjecturam nostram probandam afferamus. Curtius narrat Uxiorum urbem a Macedonibus esse oppugnatam. Quae quominus expugnaretur, et fortitudo et loci natura diu obstitit; Macedones vero, quamquam multa vulnera acceperant, pericula subire non recusabant, quia, ut Curtii verbis utar, rex inter primos constiterat, interrogans tot urbium victores, an erubescerent haerere in obsidione castelli exigui et ignobilis. Haec interrogans monuit ergo rex, tot urbium victores erubescerent haerere in tam exigui castello oppugnando. Hisce verbis igitur facile adjungi possunt verba similiaque monens; admonuit fortasse, ut pericula imminentia fortiter subirent, ne naturae obstaculis deterrerentur, ne barbaris derisui essent, opinantibus Macedones vinci posse; adhortatus est, ne calamitates perpessi labore abstinerent. Quodsi palaeographiam respicias, haec conjectura defendi posse videtur; similiaque in codicibus similiaq scriptum reperitur, quare haud difficile ad intelligendum, quomodo ex similiaq monens nasci potuerit simul admonens. Genus dicendi similia monens nihil habet, quod offendat, quum alia hujusmodi multa in scriptoribus occurrant.

Lib. V c. 10 § 5 vulgo sic legitur: „Diu omnibus cogitatis placuit per milites Bactrianos, ad omne obsequium destinatos, regem comprehendere mittique nuntium ad Alexandrum, qui indicaret, vivum asservari eum, si, id quod timebant, proditionem aspernatus esset, occisuri Dareum et Bactra cum suarum gentium manu petituri. — Pro nominativo participiorum occisuri et petituri dativum censeo scribendum esse ita ut dativus dependeat a verbo placuit. Quod si statuitur, oratio bene concinnatur. Bessus enim et Nabar-



zanes, regni cupiditate accensi, Darei interficiendi nefarium consilium ceperant. Postquam omnia diu cogitaverunt, regem per milites Bactrianos comprehendere et nuntium ad Alexandrum mittere decreverunt, qui eum certiorem faceret, Dareum vivum asservari; in animum vero induxerant Persarum regem, si Alexander, id quod timendum erat, proditionem aversatus esset, trucidare.

Accedimus ad locum lib. V c. 11 § 10, cui inest praeclara sententia bene conformata periodo expressa; dolendum autem id, quod in editione vulgata legitur, in codicibus non inveniri. Scriptor narrat, quid Patron fecerit, ut Darei, cui Bessus et Nabarzanes insidiabantur, vitam servaret. Laudem egregiam Patroni tribuit, nec vero illum tulisse fructum non negat. Mortem Dareo fato quodam destinatam fuisse scriptori persuasum est, nec quemquam illud fatum, cui omnes obnoxii sint, effugere posse; immutabili lege quemque ordinem suum percurrere pro certo affirmat. In editione vulgata Curtius hisce verbis pergit: „Eludant licet, quibus forte ac temere humana negotia volvi agique persuasum est: equidem aeterna constitutione crediderim nexuque causarum latentium et multo ante destinatarum suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.“ Codicum auctoritatem secutus Zumptius videlicet pro licet restituit et pro verbis forte ac temere scripsit forte temere; deinde quod in codicibus plerisque et quidem haud malae notae legitur ex multo pro et multo, in textum recepit, genus dicendi ex multo destinare interpretans „ex remoto tempore constituere quid futurum sit.“ Verba vero, quibus sententia, ut ita dicam, principalis inest: equidem aeterna constitutione crediderim Zumptio affirmante, qui ea sententiae explendae causa a principe editore excogitata esse putat, in nullo codice leguntur, quare in Zumptii editione uncis a reliqua oratione separantur. Nos quoque ea delenda esse censemus, parvam tamen, ut sequentia cum antecedentibus melius cohaereant, mutationem faciendam esse putamus, commendamus igitur lectionem neque nexu pro nexuque. Librarium forma literarum decipi potuisse, ut pro neque nexu legeret et scriberet nexuque, nemo non intelliget. In hac lectione verba neque nexu causarum latentium ex multo ante destinatarum suum quemque ordinem immutabili lege percurrere dependent a verbo persuasum est et conjungenda sunt cum antecedentibus constructione accusativi cum infinitivo expressis: forte temere humana negotia volvi agique, referuntur ad illam sententiam, qua ii perstringuntur, qui totum mundum omniaque humana deorum numine regi cuique sortem ex fato ante destinato evenire negant. Illud fatum vero, ut Curtius verbis sequentibus „Dareus certe respondit, quamquam sibi Graecorum militum fides nota sit, nunquam a popularibus suis recessurum“ indicat, nec Persarum rex effugere potuit.

Illa sententia, quam Acidalius auro non comparandam dicit, et aliis Curtii locis nobis occurrit, ut lib. IV c. 6 § 17 „sed ut opinor, inevitabile est fatum, lib. X c. 1 § 30: „et fatum, cujus inevitabile sors est, appetebat. Hanc sententiam Stoicorum doctrinae deberi et ex aliis veterum testimoniis et e Ciceronis opere de natura deorum lib. I c. 13 cognoscas.

Locus a criticis vario modo tractatus lib. VI c. 1 § 20 exstat. Primo capite illius libri, cujus initium in omnibus editionibus deest, auctor res Alexandro absente gestas, motus seditiosorum populorum ab Antipatro oppressos breviter narrat. Quamquam Antipater res bene gesserat, tamen Alexandri invidiam timebat, qui quicquid alienae cessisset gloriae, suae demptum esse indignabatur; non ausus igitur victoriae arbitria agere, Graecorum concilium, quid fieri placeret, consuluit. Hanc narrationem secundum vulgatam editionem haec verba excipiunt: „A quo Lacedaemonii nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret, precati, veniam defectionis praeter oratores impetraverunt. Megalopolitani, quorum urbs erat obsessa a defectione, Achaeis et Aetolis CXX talenta dare jussi sunt.

De priore hujus enuntiationis parte primum videbimus, quo modo arte critica adhibita genuina lectio sit restituenda. Paene omnes editores Curtii hic locus, codicum manuscriptorum verbis corruptis, multum vexavit et sane nobis quoque ad tractandum difficillimus videtur. Jam vero priusquam qui nunc ad manum est, apparatus criticus detectus est, variae conjecturae sunt propositae. Codicum lectiones si respicimus, Leid. Voss. I et Florentini AB exhibent liceret precati geatae veniam; participium precati vero omissum in Bernensi A, tum a manu recentiore margini appositum, in ceteris pro syllabis geatae scriptum invenitur grate, gratae, gerere, in nonnullis, in Bern. B, Flor. DFGHI et in Palatino I precari. Modius lectionem proposuerat: a quo Lacedaemonii nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret, precati, non gravate veniam defectionis praeter auctores impetraverunt. Freinshemius illud verbum codicibus corruptum (grate, gratae, gerere) delevit. Inter editores posteri aevi jam Heinsius in geatae populi nomen latere suspicatus est, quare lectionem Aegeatae commendavit; eandem sententiam Snakenburgius protulit, et inter recentes editores Zumptius, qui e syllabis geatae vocem Tegeatae eliciendam esse statuit, quamquam in aliis scriptoribus, qui res illo tempore in Graecia gestas narraverunt, Tegeatarum mentio non fit; verbum vero precati hic editor neglexit; adjectum enim esse a vetere correctore, ex quo penderet sequens enuntiatio: ut oratores mittere ad regem liceret. Muetzellius conjecturas ab emendatoribus et editoribus commendatas impugnat, novam tamen non proponit. Zumptii conjectura eum offendit, quod syllabarum preca in voce precati, — nam syllabam ti, cum sequentibus geatae conjunctam, nomen Tegeatae efficere — ratio habita non sit et in re ipsa multa sint, quae dubitationem afferre possint; vix enim intelligi posse, qua de causa Tegeatae potissimum judicum gratiam sibi conciliaverint; mirandum sane, quod inter Arcadiae populos, qui omnes, Megalopolitanis exceptis, a parte defectionis sociorum steterint, Tegeatae inprimis commemorentur. Muetzellius concedit quidem verbis precati geatae significationem Arcadiae populorum inesse, quae vero genuina sit lectio nominis latentis, haud facili negotio enucleari posse. Non infitias imus, ab aliis scriptoribus hanc Tegeatarum sortem non commemorari; quid vero impedit, quominus syllabis geatae vocem Tegeatae indicari statuamus, quum multis in rebus Curtii narratio ab aliorum narratione abhorreat, et literarum vestigia mirum quantum huic conjecturae faveant;





nec vero in iis, quae proponimus, prorsus cum Zumptio consentimus; nam verbo precati non neglecto legendum esse statuimus: A quo Lacedaemonii nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret, precati Tegeatae veniam defectionis praeter auctores impetraverunt. Verbo precati addito apparet, quo modo factum sit, ut Tegeatae veniam impetrarent; precibus enim usi erant, ut eorum, qui judicum munere fungebantur, animos permulcerent. Intercedebat tamen inter Lacedaemonios aliosque populos, qui contra Macedones arma ceperant, hoc discrimen, quod illorum causae ad regis arbitrium, horum vero ad Graecorum concilium deferebantur. Tegeatas vero precibus adhibitis judicum gratias sibi conciliasse quid est, quod mireris?

Hoc vero loco non praetermittamus, quo modo alii emendatores verba suspecta tractaverint. Walchius scribendum esse censet precati genti veniam defectionis praeter auctores impetraverunt, in quibus verbis additamentum genti sane supervacaneum esse videtur, nec perspicere possumus, quo modo factum sit, ut librarius pro satis noto vocabulo vocem mutilatam scriberet. Fossius vero in annotationibus lectionem a rege autem, quam e corruptis syllabis geatae elicuit et in textum recepit, probare studet; quum enim in Palat. I legatur precari, librarium, syllabas non distinguentem, fortasse scripsisse precarigeate, sicut syllabae a re in initio verborum a rege autem propter antecedentes literas ari in precari interciderent. Fossio igitur auctore textus hoc modo restituendus est: a quo Lacedaemonii nihil aliud quam ut oratores mittere ad regem liceret, precati: a rege autem veniam defectionis praeter auctores impetraverunt. Jn eandem fere conjecturam Jeepius incidit, qui legi vult precati a rege veniam — impetraverunt. Historiam quod attinet, difficile est ad dijudicandum, num recte viderit Fossius; literarum mutationem si spectas, non satis probabilis haec emendatio esse videtur.

Nec minus quae sequuntur verba, in codicibus corrupta sunt; in codice Flor. A haec verba sic leguntur: Maegalapolitani quorum urbis obsesserat a defectionis ejus achas eteli &c. in Bern. A megale politanis, quorum urbs erat obsessa a defectione ejus achas et eli, in Flor. B maegalepolitani quorum obsessa erat ad effectionis ejus. Snakenburgio testante in codd. Leidensi et Vossiano II legitur: a defectionis ejus; e nonnullis codd., quorum notitiam non satis perspectam habemus, idem editor affert lectionem: ad defectionis ejus multam. Obsessa erat in reliquis codd. Florentinis recte correctum esse Zumptius refert, corrupta vero populorum nomina esse, quae in aliis quoque codd. mutilata esse notitiae a Snakenburgio exhibitae ostendunt. Longum est omnes citare emendationes, quibus hoc loco textum genuinum editores restituere studuerunt; lectio vulgaris est: Megalopolitani, quorum urbs erat obsessa a defectione, (wegen des Abfalls) Achaeis et Aetolis CXX talenta dare jussi sunt, id quod rebus historia traditis repugnat; Megalopolitani enim, id quod aliis historiae testimoniis cognitum habemus, Arcadiae populorum soli in fide Macedonum permanserant, ceteris rebellantibus. Aliorum editorum omissis opinionibus Zumptii conjecturae mentionem fecerim: quorum urbs obsessa erat a defectionis sociis, Achaei et Elei &c., quam

Muetzellius in textum quidem recepit, tamen improbavit; nam ut concedatur literam s propter literam antecedentem s in sociis excidere et ociis corruptis literis in ejus mutari potuisse, tamen vix credendum, Spartanos, defectionis imprimis auctores, obsidionem tam opulentae urbis sociis tantum commisisse. Fossius nomina Achaei et Elei cum vocabulo antecedente conjungit et scribit Achaeis et Eleis. Mihi quidem, quod Muetzellius probare voluit, a defectionis ejus ortum esse e verbis a defectionis ociis, minus verisimile videtur, quare scribi voluerim: Megalopolitanis, quorum urbs obsessa erat a defectionis reis, Achaei et Elei CXX talenta dare jussi sunt, in quam conjecturam, quod verba a defectionis reis attinet, jam Nic. Heinsium incidisse a Snakenburgio collatis commentariis docemur qui tamen pro obsessa erat lectionem possessa erat adoptavit. Quid verisimilius quam e vocabulo reis oriri potuisse ejus? Qua conjectura, quod Muetzellium offendit, tollitur; nam defectionis reis quin Spartani quoque sint annumerandi, quis dubitet?

Lib. VI c. 2 § 16 in Zumptii editione lectio vulgaris discurrunt lymphatis similes in tabernacula retinetur. Quum vero omnes codices praepositionem in omittant excepto Florentino G, cui non magna tribuenda auctoritas, accusativum sine praepositione in Curtii scribendi generi dare ausim. Quod ut faciam, duobus aliis locis inducor, quibus noster auctor verba pervenire et venire cum accusativo, praepositione in non addita, conjungit. Confer lib. III c. 4 § 1: „Interea Alexander, Abistamene Cappadociae praeposito, Ciliciam petens cum omnibus copiis regionem, quae castra Cyri appellatur, perveniunt“ et lib. IV c. 8 § 1: „Alexander, ab Hammone rediens, ut Mareotin paludem, haud procul insula Pharo sitam, pervenit, contemplatus loci naturam, primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere.“

Lib. VI c. 3 § 6 in editione a Zumptio curata legitur: „Sed in novo et (si verum fateri volumus) precario imperio, adhuc jugum ejus rigida cervice subeuntibus barbaris, tempore, milites, opus est, dum mitioribus ingeniis imbuuntur et efferatos **melior** consuetudo permulcet.“ Curtius in narratione antecedente exposuerat, rumorem, quum Alexander Hecatompyli stativa haberet, percrebruisse, Macedonum regem domum reverti consilium cepisse, milites huic famae fidem habentes itineri sarcinas aptasse. Quod quum comperisset, regem praefectos convocasse et ex medio gloriae spatio se revocari et alia conquestum esse, quibus permotos duces operam suam obtulisse et militum obsequium pollicitos esse, si eos leni et apta oratione permulcere voluisset; Alexandrum deinde exercitum ad concionem vocasse eumque oratione bene composita allocutum esse, demonstrantem se nondum redire posse, quoniam non certa esset possessio earum terrarum, quas tanta velocitate domuissent, barbaris adhuc rigida cervice jugum subeuntibus tempore opus esse, dum mitioribus imbuerentur ingeniis. Quod Zumptius scribit melior consuetudo, plurimis defenditur codicibus, quibus et Bern. A, Leidensis et Vossianus annumerandi sunt, optimi vero codices Florentini AB habent mollior consuetudo. Discrepant igitur hoc loco inter se codices primae classis alioquin simillimi. Orationis dignitate lectionem melior consuetudo commendari Zumptius censet. In qua sententia cum Modio facere videtur, quem



ex editione Snakenburgiana videmus annotasse, sibi lectionem melior consuetudo insane placuisse et se opinari etiam lectori ut placeret fore, si in memoria haberet, quo modo veteres Latini voce melior usi essent, dicentes melior deus, melior natura aliaque hujus generis. Quae argumenta nos permovere non possunt, ut Florentinorum AB auctoritate neglecta lectionem melior consuetudo praeferamus; nam exempla permulta afferre possumus, quibus scriptores veteres, inter quos Ciceronem, Caesarem, Quintilianum, adjectivum mollis simili significatione usurpasse et adjectivum mollis substantivis ratio, disciplina, mens, actio, educatio, tarditas adjunxisse videmus. Et exquisitius, ut hoc utar verbo, genus dicendi mollior consuetudo esse videtur et bene respondere antecedenti mitiora ingenia; mutatis autem verbis scriptorem duabus enuntiationibus „dum mitioribus ingeniis imbuuntur et efferatos mollior consuetudo permulcet“ fere idem exprimere voluisse quis est, quem fallat? Contrariae significationis vis magis effertur adjectivis mollis et efferatus; efferati enim mores parendi consuetudine molliuntur. Lectio vulgata, quam Fossius quoque retinet, est: „mollior consuetudo.“

Lib. VI c. 6 § 10 lectio vulgata „Tum maxime vinci ipsos dedique alienis moribus et externis: tantae morae pretium, domos quasi in captivo habitu reversuros“ codicum auctoritate non firmatur. Curtius narrat Alexandrum rege Persarum devicto et occiso terrisque ejus subactis, postquam Parthienen petivisset, veteres Macedonum mores mutasse, continentiam et moderationem in lasciviam vertisse, Macedonum regum salubriter temperatam disciplinam magnitudine sua leviorem ducentem, Persicae regiae par deorum potentiae fastigium aemulatum esse, Macedones vero aegre tulisse, quod rex Persarum mores imitaretur et clandestinis consiliis regis superbiam et fastum conquestos esse. Verba supra citata erant conquerentium. — Jam initio libri manuscripti discrepant. Pro tum maxime omnes praeter Flor. DF et Palat. I habent cum maxime, quod ferri non potest. Magna vero varietas lectionum in verbis sequentibus; vox pretium in omnibus deest, quae primum in editione Aldina apparet quamque ceteri editores in textum receperunt. In codd. Flor. ABC legitur: et externis quoque tantae more domos, in Flor. G quo dante more, in Bern. A Voss. I quo tante more, in Flor. DEFHI et Bern B quod pro quoque. Zumptius conjecerat quidem: mutato more domos quasi in captivo habitu reversuros, in textum vero hanc emendationem non receperat, quae languere nec literarum vestigiis, quae in libris manuscriptis occurrunt, respondere videtur; voces quo sive quod tante ortas esse ex vocabulo mutato vix probari potest.

Ut multis aliis locis hic quoque emendationem sagaciter excogitatam vir doctus Joepius proposuit, quae quidem Fossio ita placuit, ut textui eam insereret: quo tandem ore domos quasi in captivo habitu reversuros? Hujus conjecturae et Zumptius in praefatione editionis majoris mentionem facit eamque probat. At vero non negligendum in optimis codicibus AB non legi quo tantae more, unde facile fortasse oriri potuisset quo tandem ore, sed quoque tantae morae; particula que respicienda mihi videtur, unde vestigia genuinae lectionis cognoscas. Quoque tan-

tae morae nihil esse neminem fugit; propter vocabulum sequens domos vero substantivum donum excidere potuit, quo addito et voce quoque mutata in quodque illud efficitur, quod, qui vocem pretium suppleverant, efficere voluerant. Quod si probatur, lectio genuina ita restituitur: „Tum maxime vinci ipsos dedique alienis moribus et externis: quodque tantae morae donum, domos quasi in captivo habitu reversuros. Veritatem propius me accessisse puto quam qui Aldinam secuti sunt.

Lib. VI c. 7 § 1 lectio vulgata est: „Jam nonum diem stativa erant, cum externa vi non interritus modo rex, sed invictus, intestino facinore petebatur. Jam veteres editores offensi sunt vocabulo interritus, quod Acidalius monstrum esse dicit. Favet hic editor magis lectioni, quam Zumptio affirmante et Flor. A tuetur: tutus, ordinem autem verborum ita transponi vult, ut scribatur: externa vi non invictus modo rex, sed tutus, quae mutatio gravior est, quam quae ferri possit. Acidalius ipse deinde hanc conjecturam improbavit et ex utraque lectione interritus et tutus duabus vocibus unam restituendam esse censuit „intentatus“, quod qua ratione legibus de arte critica exercenda latis fieri possit, vix intelligo. Jam Raderus et Freinshemius hanc licentiam vituperaverunt. Quodsi codices perscrutamur, hoc quoque loco lectionum varietas apparet. Tutus est in codd. Flor. A G, Bern. A, Leid., Vossiano I et in Modiana editione, territus in Flor. C, in Flor. B haec vox deest, in ceteris Florentinis, in Bernensi, in Palat. I, Vossiano II interritus. Zumptius lectionem vulgatam rejicit, et quam ipse in textum recepit „non tutus modo, sed interritus“ his defendit verbis: „non solum praesidiis adversus hostilem impetum cinctus ac defensus, sed experimento virium saepe facto etiam superior.“ Ablativus autem externa vi, et ad adjectivum tutus et ad participium invictus referendus, duplicem significationem habet et remotionis et actionis. Jnsuper constructio tutus aliqua re pro ab aliqua re perraro invenitur. Gradatio vero, quae fieret, si legeres „non interritus modo, sed invictus“ huic loco minus apta esse videtur. Hunc sensum equidem verbis suspectis inesse puto: „Externa vis Alexandrum non modo non triverat, sed eum ne vicerat quidem, quare lectionem „cum externa vi non intritus modo, sed invictus, intestino facinore petebatur“ commendaverim. Errore calami ex vocabulo intritus ortum est intutus, quod, quum sententiae exprimendae non responderet, in tutus mutatum est.

Lib. VII c. 2 § 9 in oratione illa, qua Alexander Amyntam ejusque fratres absolvit, postquam juvenes, ut in gratiam secum redirent, admonuit, haec verba occurrunt: „Nisi quae delata essent, excussissem, valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset. Haec est lectio vulgata, quam ne Zumptius quidem in textum transferre recusavit, quamvis codices manuscripti eam non tueantur; in Aldina primum illam emendationem reperimus. In omnibus codicibus superare potuisset legi Zumptius affirmat; Raderus vero, id quod e commentariis a Snakenburgio collectis cognoscimus, Matthaeum Klokium in codice Constantiensi lectionem suppurare inveniri sibi scripsisse dicit; attamen quamvis Klokius hanc scripturam omnibus anteponat, Curtianae dictioni



minus aptam esse putat. Suppurare alias de ulceribus dictum etiam metaphorica significatione usurpari posse scriptorum haud rara exempla demonstrant. Concedendum quidem e verbo suppurare facile nasci potuisse superare, quod alii codices, inter quos et Flor. AB, habent, quod vero ferri nequit; hac autem voce, quae in Curtii scriptis iterum non reperitur, non concinna existit oratio. Zumptius significatione media verbum sperari antea commendaverat, ipse tamen valde sperari pro valde timeri vix dici posse postea cognovit. Fossius, alioquin novas conjecturas haud respuens, hoc loco ab Aldo traditam lectionem retinuit. A lectione librorum manuscriptorum literarum vestigiis paululum tantum discedentem scripturam reperisse mihi videor, verbum superare mutans in saeva parare. Sensus loci est: „nisi, quae delata essent, inquirendo perscrutatus essem, suspectos vos habuissem et ut suspicionem dissimulassem, tamen facere non potuissem, quin saeve in vos consulerem.“ Verba, quae sequuntur, cogitationem modo inchoatam bene excipiunt: „Sed satius est purgatos esse quam suspectos. Cogitate neminem absolvi posse nisi qui dixerit causam.“ Vix dubitaverim, quin, quemadmodum dicimus fugam, exilium, bellum parare, etiam dici possit saeva parare; superare vero e verbis saeva parare haud dubie natum est, quum literis continuatis in codicibus sevaparare scriberetur. A literis vocabuli superare longius abhorrere videtur lectio, quam nuperrime in Annalibus philologicis et paedagogicis a Klotzio editis Jeepius commendavit: frustrari, qui exemplis (VI, 7, 35. 8, 16; IX, 10, 22; X, 1, 28. 29; X, 9, 8) citatis demonstrare studet, quantopere dissimulatio frustrari potuerit.

Locus ab interpretibus multum tentatus exstat lib. VII c. 7 § 25. Alexander, vulnere adhuc aeger, cum Scythis non provisum bellum gesturus, amicos in consilium advocari jussit. Quum non hostis, sed temporis iniquitas terreret, se segnem jacere, cujus velocitatem nemo antea effugere valuisset, conquestus est et rursus, ut Curtiano dicendi genere utar, ad superstitionem revolutus Aristandrum rerum eventum explorare voluit. Dum hic eventus futuros pecudum fibris cognoscit, Alexander amicis exposuit, quae quamvis vulnere impeditus, quominus pedibus ingrederetur et equo veheretur, moliretur. Omnes regem a tam praecipiti consilio deterrere coeperunt, inprimis Erigyius, qui superstitione incussa regis animum permovere tentavit. Quae enim ex Aristandro vate compererat, tristia fuisse exta, Erigyius cum rege in concione communicavit. Alexander, non ira tantum sed etiam pudore confusus, quod superstitionem, quam celare voluerat, ceteri cognovissent, Aristandrum arcessivit arcessitumque vituperavit, quod Erigyio, quem extorum interprete metu suo uti pro certo haberet, arcana prodidisset. Verba, quae sequuntur, editio vulgata sic exhibet: „Tibi autem quam potest, denuntio, ipse mihi indices, quid ex extis cognoveris, ne possis infitiari dixisse, quae dixeris.“ Quam lectionem nullo modo ferri posse haud difficile ad intelligendum neque eam codicum auctoritate satis firmatam videmus; legitur enim in codd. Leid., Palat. I, Flor. ADFI tibi autem qui sepius quam potest, in Flor. B, Bern. A tibi autem saepius quam potest, denuntio, in Flor. CEGHI, Bern. B. tibi aut sepius vel citius, quorum verborum conjunctione Fossius annotat librarios indicare voluisse, vocem in codice, quem describebant, male scriptam sibique non prorsus intellectam vel sepius

vel citius esse videri, quare ille editor Tibi autem, qui scitius quam potest, denuntio scribendum esse suspicatur, interpretationis causa lacunam statuens, quam hoc modo explere studuit: Tibi autem, qui scitius quam potest ille, interpretaberis, denuntio. Quaeritur, num leniore ratione, lacunam non statuentes, locum sanare possimus. Zumptius proponit: Tibi autem quietius quam potest, denuntio, vocem quietius, quam librarios in saepius corrupisse credit, ita explicans: „placidius, clementius, quam quisquam exspectare potest me facturum.“ Quam interpretationem Fossius in editione haud inepte castigavit his verbis „quis, quaeso, quietius quicquam potest denuntiare quam potest?“ Et Zumptius ipse sensisse videtur se male conjecisse exclamans: „haec erat emendatio nostra, quam abjiciat, qui melius aliquid reppererit.“ Nulla recentiorum editorum conjectura verborum structura melius concinnatur, tota oratio claudicare mihi videtur; genuina igitur ut restituatur lectio, scribendum esse conjicio: Tibi autem, qui **sapias, quum potes,** denuntio: „Dir kündige ich an, der du weise bist, wenn du kannst“ i. e. tum, quum dii voluntatem suam declarant, quum futura sacrificiis tibi portendunt. Qua conjectura ratione lenissima codicum scriptura mutatur; quam facile enim librarius pro vocabulo „sapias“ describere potuit „saepius“, pro „quum“ vocem „quam“, pro „potes“ vero „potest“! Connexus verborum sic emendatorum cum antecedentibus bene se habere mihi videtur; Erigyius enim non sapuit, quippe qui a diis non edoctus metu suo extorum interprete uteretur. Jam abhinc duos annos hunc Curtii locum denuo tractanti haec emendatio in mentem mihi venit; nuperrime in annalibus philologicis et paedagogicis a Klotzio Lipsiae editis (tom LXVI fasc. I pag. 40) Jeepium ad mutationem vocis saepius quod attinet, simile quid conjecisse vidi, lectionem „Tibi autem, qui sapis quam potest, denuntio“ proponentem.

Haec hactenus, altera occasione oblata hasce quaestiones continuabimus.

